



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Asella Virgo. 7. Decembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

plum sive primum fuit, cum picem in  
 aheno bullientem à flammâ, jam jam-  
 que exundantem nudo brachio, quoad  
 subsideret, impunè versavit? Quod fa-  
 ctum cum alii, ut par erat, laudibus ex-  
 tollerent, convitiis alii deprimerent,  
 perstitit tamen ille in statione suâ,  
 suoque iudicio terræ purgamentum &  
 canis pigellus, cœlo interea omnia alia  
 de ipso sentiente. Cum enim socii sci-  
 re percuperent, quo loco apud Superos  
 PAVLVS esset, abrepti animo in feli-  
 cissimos primi parentis hortos PAV-  
 LVM illic invenerunt, qui munera  
 (fructus miros) in singulos dispertiret,  
 simul vale omnibus diceret. Siquidem  
 altero mane ad montem è cœnobio  
 contendit non procul Constantiнопo-  
 li situm. Ad hujus pedem cum annos  
 aliquot habitasset, evocatus denique  
 à DEO, velut alter Moyses, in culmen,  
 inde facili transitu in cœlum est. Ex  
*Menas.*

S. ASELLA VIRGO.

7. Decembris.

FELIX ASELLÆ pater, cui Superi  
 filiam, prius quàm nasceretur lym-  
 pida crystallo clausam spectandam ob-  
 tulere, ut jam tum animi castissimi sive  
 candorem sive splendorem miraretur!  
 Sed felicior ipsa ASELLA, quæ in pri-  
 mâ atate Agno jam nupta thalamum  
 in

in parentis domo cellam angustam, lectum terram, delicias cum sale panem & fontanam habuit. Atque ad has nuptias post annum ætatis duodecimum, ut mundum muliebrem non inconvenientem sibi pararet, torquem aureum, quem pro more familiæ (nobilissima erat) à collo pendulum gestabat, clam vendidit emitque qualem à matre exorare nunquam poterat, vilem & pulli coloris vestem, omnibus hæc testata jam mundo se mortuam esse. Ita deinceps unius Christi amoribus vacare, hunc lacrimis poscere, anhelare gemitibus, precibus orare, jeuniis cogere; domo interea nisi ad templa nunquam pedem efferre; verbo ut genibus ita vita consuetudini callum obducere, jamque raro miraculo inter medias mundi turbas sola agere, & patrias ædes sibi in monasterium vertere. Constitit interea corpusculo etsi tam male habito suus nihilominus vigor & integra semper valetudo, ut videres non tam asperitatem vitæ, quam delicias obesse. Obiit anno partæ salutis CCCCL. Vitæ laudatorem habuit Hieronymum; imitatore quem nunc? *Ex D. Hier.*

S. AMBROSIVS EPISC.

7. Decembru.

AMBROSII infantis osculum apes  
Ajunt insedisse, verissimos ejus elo-  
V u 4 quen-